



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 137. [i.e. 173] Accepta aqua lavit manus coram populo. v. 24.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

§. 137. *Accepta aqua lavit manus coram populo. v. 24.*

Vide, anima mea Ingenium hominis perplexi, videntis meliora, peiora sequentis, ingenium volentis bene & non facientis. more antiquorum, imo Iudæorum, lavit manus Pilatus, contestando per hanc lotionem Christi innocentiam, seque immunem à Christi morte faciendo. quasi diceret: se quidem innocentem voluisse liberare, sed quoniam seditio oriretur, & ipse non sineretur agere iuste, se velle Barabbam eis dimittere licet reum & dignum morte; Christum verò licet innocentem & inculpabile punire, ut seditio capta & tumultus sedetur: Itane Pilate: vis te sic excusare à culpa? ô Pilate tu lavas quidem manus uti video, sed non conscientiam, cur non resistis furori Iudæorum, uti Iudex & Præses: noli fieri Iudex, nisi valeas virtute irumpere iniquitates, præbuiisti te virum olim teste Josepho libro 18. cap. 4. quando populum tumultuantem, immixtis militibus cum fustibus compescuisti, cur idem nunc non agis? si Iesum ob furentem populum liberum dimittere nequis, saltem sententiam differ, procrastina, moras nocte dum furor ille subsidat, in sum esto vir fortis. Considerans ista videor mihi incueri omnium peccatorum admirabiles prætextus, quos solent suæ ad peccatū declinationi præferre, ut aliquo modo conscientie dictamini reclamanti os obstruant. Non potest homo hæc explicare sermone. Ibi ratio statûs, ibi boni publici interesse, ibi respectus, ibi mille talia nomina usui sunt.

**O** Deus in lotionem Pilati, contemptor Liberi Arbitrii Humanæ, opus & tuæ Gratiæ suavem ab dicationem. Sed quid ad eam amplius dicam non scio. mirari magis hic libet, quàm aliquid fari. Solum hoc dico, aliter Dominus se gesserunt tui Stephani, Laurentii, Anastasii, Vincentii, Sebastiani &c. servi tui, qui ex eadem massa ex qua Pilatus erat, obtulerunt se tyrannis pro te & tua iustitia ad rotas, gladios & flammam ignis. Hanc gratiam fortitudinis tuæ largire mihi Deus tortis, ut nunquam deficiam à tua iustitia vel latum anguem, etiam si & vitam & bona omnia temporalia amittere deberem.

§. 174. *Innocens ego sum à Sanguine iusti huius. v. 24.*

Malè & Benè dicis, Pilate eodem halitu: Malè, quia te innocentem prædicas à sanguine iusti huius: Bene, quia iustum denuntias Christum iustus enim est, & iustitiam diligis, tu autem non diligis iustitiam, sed times facere iustitiam ob populi gratiam, ideo licet manus laveris tamen tuam iniustitiam non diluis. Ipse enim occidis, qui tradis & flagellandum & crucifigendum innocentem.

**O** Quam multi cum Pilato illo læpe sese decipiunt, suaviter persuadentes sibi se esse iustos, se esse innocentes. Si carcerem, si er-

gastu-